

DE  
VITAE DEI



PRAESIDE

VIRO AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

IOANNE FRIDERICO  
HILLERO

IVRIS NAT. ET GENTIVM PROF. PVBL. ORD.  
ET SCHOLAE OPPIDANAE RECTORE

FAVTORE AC PRAECEPTORE SVO  
PIA MENTE COLENDO

D. XXVII APRIL. 1724

DISPVTABIT

A V C T O R

AVGVSTVS LVDOVICVS SCHLOEZER

HOHENLOHICO - FRANCVS



VITEMBERGAE

LITERIS IO. FRIDER. SCHLOMACHI

a. 21. 17

oll. diss. A  
2, 17

VITAE DE

FRANCISCA  
VIRI AMPLISSIMO AD OUI DOCTISSIMO  
IOANNES ERNESTUS  
HILFERS  
VIRI AMPLISSIMO AD OUI DOCTISSIMO  
FRANCISCA  
VIRI AMPLISSIMO AD OUI DOCTISSIMO



A. W. C. Y. O. P.  
ERNESTUS ERNESTUS

FRANCISCA

V I R I S  
GRAVISSIMIS AMPLISSIMIS  
CONSULTISSIMIS DOCTISSIMIS  
CLARISSIMIS PRUDENTISSIMIS  
CONSULIBVS  
ET  
SENATV  
LIBERAE SACRI ROMANI IMPERII  
CIVITATIS  
NORDLINGENSIS  
PATRONIS SVIS OMNI OBSERVANTIA  
COLENDIS

RATIONEM STUDIORVM REDDIT

DISPV TATIONEM HANCCE

P R I S C A F I D E

D. D. D


A C S E S P E S Q V E S V A S

EORVM FAVORI PROPENSO

COMMENDAT

A V C T O R

AVGVSTVS LVDOVICVS SCHLOEZER



§. I



VM in omni cognitionis ac scientiae studio laudabiles illi cum primis censentur, qui in veri inuestigatione solertiaque eo potissimum nituntur, vt distinctas rerum percipiendarum notiones et quasi formas animo comprehensas habeant, tum praestabile prorsus atque adeo necessarium videtur, horum institutum sequi in ea philosophiae parte, quae de Deo exponit, proprietatumque diuinarum tradit disciplinam. Nam si qua reperitur scientia subtilis, ardua atque ab humanae mentis captu, exiguo sane, remota, certe rerum est diuinarum scientia, quae ipsa per se abstrusa, aduersariorum cauillationibus multo etiam redditur difficilior. Quorum errores si coarguere velis, rationes oportet ex intima philosophia depromptas afferre, quod fieri vix poterit, si fueris memoria tantum, nec iudicio simul, rationis decreta complexus. Quanquam vero inter omnes constat distinctarum notionum necessitas, dissident tamen sapientum familiae inter se de ratione eas consequendi, neque vnam omnes viam monstrant, quam ingressi, ad eas tuto et commode perueniamus. Qui solent altius rerum naturam intueri, viri sapientiae laude clarissimi, ex ipsa distinctarum idearum definitione praecepta sua, quibus tanquam legibus pareamus, hic proxime repetunt. Grauius enim monent, fieri nullo modo posse, vt explicatas rerum formas animo informemus, nisi notas singulas, quae in qualibet idea insint, et quas

Ratio  
instituta

solemni vocabulo *notiones partiales* nominemus, discernamus, vnamque ex alia contemplemur. Quod humanae mentis praesidium, si necessarium videtur vsquam, in Deo illuminate exploreteque peruestigando negligendum non erit. Hic animum decet ad cogitandas, quas tota Dei notio complectitur, singulas ideas, instituere, et proprietates diuinas, quas CVDWORTHVS<sup>1</sup> *notiones imperfectas et particulares vnius eiusdemque naturae Dei simplicissimae et perfectissimae* egregie dicit, distribute commentari. Quae noscendi Deum ratio cum longe facillima sit, mentisque nostrae naturae perquam accommodata, dolendum sane est, fuisse olim, atque etiamnunc esse, qui, ratione ista in fraudem malitiamque conuersa, turpiter alucinentur, atque in errores hoc grauiores prolabantur, quo pateant latius, et ad ipsas vitae actiones manent. Nam quae cogitatione discernunt, ea vere secum differre rati, coagmentationem quandam virtutum dissolubilem in Deo effingunt, cum tamen vna tantum Dei sit et consentiens sibi in pluribus dotibus essentia. Quocirca summa est animi prouisio adhibenda, vt, tanquam scopulum, sic errorem istum fugiamus, quod quidem commode poterit fieri, si proprietates has diuinas assidue contendamus, et quam sint aptae ex se connexaeque, quam insit in iis nihil repugnans, consentanea omnia, studiose contueamur. Mirifice vero hic nos adiuuabit earum virtutum commentatio, quae adeo non possunt a reliquis diuelli, vt non sint ipsae per se singulares proprietates, sed communes, et reliquas communi vinculo contineant. Quarum in numero habetur etiam *vita*, excellentissima Dei virtus, cuius explicatio ad venerabundam numinis notitiam pulcherrima merito censetur. Quantum ea momenti habeat, LAMPE<sup>2</sup> scienter ac perite tradidit in hanc sententiam. *Vita adeo necessario Deo conuenit, vt omnium eius aliarum perfectionum fundamentum sit. Qui enim vitam tolleret, ille intellectum et voluntatem tolleret. Et qui tolleret vitam perfectissimam, ille omnem tolleret omniscientiam et omnipotentiam.* Equidem quotiescunque de ea cogito, demiror, quid sit, cur, cum nostra aetate multi studio atque doctrina praestantissimi viri ad inuestigandam numinis naturam totos se contulerint, vitam eius vel praetermittant omnino, vel breuius exponant. Forte quae BILFINGERO strictim eius attingendae causa fuit, ea fuerunt etiam alii ducti. Commemorat enim ille,<sup>3</sup> longiori interpretatione

1) in *System. Intellect.* p. 787

2) *Comment. in Ioann.* Tom. II. p. 67

3) *Dilucidat. de Deo, anima et mundo* §. 455

tionem eam se explicare noluisse, propterea quod nullae sint de ea dubitationes ortae, quae nobis reliquarum virtutum diuinarum tam praestantes explanationes pepererint. Ipse tamen vtilissimam fore eius altiore indagacionem iudicat, vehementerque optare videtur, ut quis a philosophia bene instructus, diligentius eam persequatur, et, quae inuoluta in eius notione insint, dilucidius euoluat. Haec sane verba prima nobis causa extiterunt, ut de *Vita DEI* scribere ingrederemur. Neque vero id arroganter, aut eo dictum esse velim, quo me explere posse HILFINGERI desiderium putem, probe natus, quantam locus tam difficilis philosophiae flagitet intelligentiam, exercitationis assiduitate formatam. Verum si audere quoque pulchrum ducitur, eo saltem nomine non vituperabitur opera nostra, eritque satis, si modo noster in ea re conatus probetur. In tres vero partes omnis disputatio nostra diuidetur. Primum enim, quae sit vita Dei, docebimus, eamque recte Deo tribui, rationibus efficiemus necessariis. Deinde, quantam harum notionum euolutio commoditatem habeat in veterum scriptis interpretandis, ostendemus. Tum, quid ad varios errores infirmandos frugiferum, quid ad vitam salubre, inde consequatur, attingemus.

## §. II

ATQVE ut ordinis et rationis via procedat omnis nostra disputatio, ante, quid sit vita, generatim atque vniuerse explicabimus. Nec vero natura vitae nobis obscura potest esse, qui Dei beneficio viuimus, et viuimus non animo solum, sed etiam corpore. Nos igitur contemlemur, sic vita, quam quaerimus, in sensus cadet. Cur animo vitam tribuimus, quia non agitur aliunde, sed vi sua viget, eaque actiones perficit, naturae suae congruentes, diu noctuque actuosus, sentit, meminit, somniat, intelligit, appetit, refugit. Venit in societatem huius vitae corpus nostrum, quod viuum nominamus, dum non pulsu mouetur externo, sed principium quoddam mouendi in se habet, continui sanguinis circuitus efficiens. Qui fons suppressus corpus vita priuat, idque mortuum iudicant omnes, si membrorum functiones et motus, a principio proficiscentes interno, penitus intermittuntur. Itaque LACTANTIUS <sup>4</sup> breuiter et compositè, *vita*, inquit, *actiuosa est, mors quieta*. Iam quae vitae sit notio subiecta, ex

Vita generatim explicatur

A 3

nobis

4) *Institut. diu. VI. 17*

nobis ipsis ad cognoscendum erit perfacile. Etenim quae modo attulimus, luculenter commonstrant, consueſſe nos *vitam* eam rerum *conditionem* nominare, *qua continenter agunt, et mutationes a natura sua non alienas ex suapte vi producunt.* Sensit hanc vitae efficientiam PLOTINVS, 5 paucis multa complexus, *πᾶσα ζωὴ ἐνέργεια, omnis vita actus est.* Quae *ἐνέργεια* cum possit vno Ciceroniano vocabulo agitatio, barbaramente *actuositas*, dici, recte se habebit vulgaris vsusque trita definitio, quae vitam in actuositate ponit entis alicuius continua. 6 Praeter hanc vitae definitionem alii alias 7 amplexati sunt, quae ad vnam omnes ab nostra adeo non discedunt, vt sua sponte ex illa consequantur, eamque mirifice illustrent. Ita sunt, qui vitam in *continuatione* aut *perduratione naturae* quaerant. Enimvero natura sua cuiusque vis est agendi, quae continuari nequit aut perdurare, quin principium perseueret illud actuosum, in quo ratio reperitur, cur res viua sine motu externo continenter agat. Sic animum nostrum vita frui nemo temere negat, suae sibi agitationis conscius. Vnde vero haec animi proficiscitur agitatio, nisi ab eius vi agendi, quae eius naturam constituit. Quapropter verbis discrepant, reapse conspirant, definitiones a nobis commemoratae, quarum altera vitam repetit ab agitatione rei, altera a natura rei conseruata. Ad hanc ipsam vitam, propius fidem est, pertinere illam ARISTOTELIS *ἐντελέχειαν*, vel potius *ἐνδελέχειαν*, tot vexatam dubitationibus, vt eam PASCHEVS singulari diatribe vocem et crucem Metaphysicorum nuncupet. Nec vero Metaphysicos illa tantopere cruciaret, si MELANCHTHONIS eruditam perspicuitatem in eximio de anima commentario 8 vellent sequi. Is *ἐνδελέχειαν* agitationem, seu vitam ipsam, quae in operationibus continentibus consistat, significare putat. Nam cum *ἐνδελεχὴς* notet continuum, ex ipsa vocis origine *ἐνδελέχειαν* continuitatem, seu assiduitatem interpretatur. Comparat etiam locos Stagiritae alios, vbi *ἐνδελέχειαν* et *ἐνέργειαν* inter se permutat. In primis CICERONEM defendit, qui 9 eam continuatam et perennem motionem conuerterat. Quae satis plana et euidentia scholastici deinde *formis*, quas vocant *substantiales*, magnopere obscurarunt, LEIBNITIVS

5) *Ennead. III. Lib. II. Cap. XVI*

von der Unsterblichkeit der Seele,

6) Reinbeck von der Unsterblichkeit der Seele S. 20

P. I. pag. 71

7) Simonetti Gedanken über die Lehre

8) pag. 6. seqq

9) *Quaest. Tusc. I. 10*



TIVS vero vim agendi distinguens accuratius, rursus in lucem protulit, litteris ad PELLISONVM datis. <sup>10</sup> Satis de vita generatim, variis philosophorum definitionibus iudicata

## §. III

ITA VERO viam nobis aperuimus ad ipsius *vitae Dei*, quae caput est descriptionis huius, commentationem. De qua si philosophos nostrates euoluo, tam multiplices reperio, tamque discrepantes sententias, ut magno argumento debeat esse, nondum ita explanatam hanc proprietatem, ut fixa et stabilis ipsi significatio constet. Esse Deum viuum, largiuntur, qualis vita eius sit, disputant. Sunt enim, qui latius eam definiant, neque ostendant satis, qua in re numinis vita cum rebus creatis differat. Alii alias rationes ineunt, Deique vitam nimis ad hunc mundum referunt. Nos quidem in explicanda ea ita versabimur, ut pro virili seiungenda discernamus, et quae vita Dei sit, tum in se considerata, tum relata ad res creatas, descripte doceamus

Vita Dei in se considerata quae sit

Si quis generalem quandam vitae diuinae definitionem requirit, nihil est, quod expediri tam facile possit. Nam, quemadmodum rei cuiusque, ita etiam numinis vita, in *agitatione ipsius propria* posita erit. Longe difficiliore explicatus habet illa quaestio, quae in agitationem illam, a diuinae naturae praestantia non abhorrentem, subtilius inquirat. Etenim qui eiusmodi agitationem in Deo inesse statuatur, qualem in rebus creatis deprehendimus, nae is turpiter erret, ac repugnantia loquatur. Mutationem enim, sine qua nulla finitarum rerum informari agitatio potest, qui possit Dei notione comprehendere. Altius igitur res reperenda videtur, et gradatim istuc, quo contendimus, perueniendum. Primum vero hoc ex Theologia naturali

10) Vid. FELLERI *Otium Hannover.* pag. 352. ubi LEIBNITIVS: Il semble que chés Aristote l'Entelechie en general est une realité positive, ou l'actualité opposée à la possibilité nue ou à la capacité; c'est pourquoi il l'attribue aux actions (comme sont le mouvement

et la contemplation) aux qualités ou formes accidentelles (comme la science, la vertu) aux formes des substances corporelles, et particulièrement aux ames, qu'il considere comme les formes des substances vivantes, etc.

naturali pono, esse Deum ab omni concretione liberum, ac spiritum, eumque excellentissimum, cuius adeo actiones ad intelligentiam maxime spectent ac voluntatem. In quo cum actiones nostri animi cum diuinis genere conueniant, peropportune, quicquid in istis perfecti reperimus, ad Deum conferemus. Sed subit mentem infinitae Dei praestantiae recordatio, quae, procul abesse omnem labem, quicquid vero perfecti in aliis rebus insit, excelso quodam modo Deo tribuere, iubet. Quod si ex nostrae mentis actione atque agitatione volumus vitae diuinae rationem explicare, opus erit ante omnia, animum ad cogitandos fines, quibus animus noster terminatur, instituere, eosque separare, ut diuini quid existat. Primum quidem, quamquam admirabilis est animi nostri celeritas, ac *perceptionum campus*, quem WOLFIVS nominat, latissime patet, attamen tantum abest, ut nostra cogitandi vis ad omnia, quae cogitari possint, pertingat, ut paucissima simul cogitet, et ad illa, quae non cogitet, relata, in sola *potentia* subsistat. Tum vero alia distincte, alia confuse, alia obscure cogitat, neque ea, quae in qualibet idea latent, figillatim semper comprehendit. Denique cum ab vna cogitatione ad aliam delabitur, fieri non potest, quin per hanc idearum successionem mirum quantum mutetur. Iam vero propone tibi naturam perpetua omnium rerum intelligentia praeditam, et habebis Deum cum maxime viuum, cuius ea cogitandi vis sit, quae, nullibi impedita aut quocumque modo interrupta, quaeuis semper peruideat. Habebis Deum, distinctissima cognitione praestantem, cuius scientiam in ideis euoluendis nulla possit notio partium fugere. Habebis denique mentem, ab omni mutatione liberam, ac semper eandem. At hic profecto in difficili loco versantur, qui de actionibus Dei ita volunt exponere, ut omnem mutationis suspicionem procul amoliantur. Actio enim, nulla mutatione adiuncta, fugere alioquin intelligentiae nostrae vim atque notionem videtur. Sed simul atque perfectissimae agitationis formam animo comprehenderis, ratione mutationis sublata, ipsa mutatio euanescet. Nam si animus noster per eam, quae in ipso exercetur, agitationem mutatur, iccirco fit, quod, quae alias cogitare tantum potuit, ea nunc vere cogitat, atque relicta priori cogitatione aliam amplectitur, aut, ne a solemni loquendi formula discedam, *a potentia ad actum transit*. Eiusmodi vero idearum continuationem qui potes in natura omnia simul cogitante fingere. Atque ita existit illustris quaedam, et augusta vitae diuinae

diuinae

diuinæ imago, numinis maiestate longe dignissima. Tam late enim patet, vt non modo omnem intelligendi vim complectatur, verum ad reliquas etiam proprietates, cum ea coniunctas, pertineat. Quocirca præter *omniscientiam*, quæ res quaslibet simul pleneque contemplatur, viua erit *voluntas* Dei, quæ tanto plura melioraque appetet, quo amplior fuit intelligentiæ in cognoscendis bonis perspicientia. Viua erit *sapientia*, quæ copulat inter se res, artificiose digerit, aptissimisque subsidiis seu mediis fines suos optimos moderatur. Viua *sanctitas*, quæ ea appetit, quæ perfectissimæ Dei naturæ accommodata sunt. Viua, quæ rerum creatarum commodis inferuire cupit, *beneficentia*. Ita reliquæ etiam virtutes Dei, quæ ex intelligentia et voluntate, tanquam ex fonte, dimanant, viuæ erunt ad vnâ omnes. Quæ omnia, disputata hætenus, si volueris vna definitione comprehendere, *vita Dei* complectetur *internam continuamque ipsarum Dei virtutum agitationem*

## §. IV

PERGIMVS ad alteram vitæ Dei contemplationem, quam *relati- Vita Dei ad  
uam* recte dixeris, multo etiam priori illa faciliorem. Quam qui co- mundum  
gitat, fieri non potest, quin semper aliquam rerum creatarum cogita- relata  
tionem adiungat, ad quas se referat infinita Dei vis, et in quarum  
vel creatione, vel cura, occupata reperiatur. Neque enim hic de  
fundamento huius vitæ loquimur, quod in ipsa numinis essentia, eius-  
que vi infinita omnia procreandi, procreataque tuendi, positum esse,  
omnes confitentur. Etenim cum hæc propria Dei atque eximia virtus  
fit, vt ipse ex alio nemine, contra ea omnia ab ipso, pendeant, profe-  
cto ab æterno iam necesse fuit, vt creatæ res, si quæ olim futuræ  
sint, ortum suum a Deo repetant. Hæc numinis proprietas quamuis  
nonnunquam vitæ nomine in philosophorum scriptis vsurpari soleat,  
videtur tamen ab loquendi consuetudine paullulum recedere, cui qui  
inhaerent, *vita Dei relatiua* complectuntur *vim potestatemque infinitam,*  
*omnia efficiendi, sed extrinsecus demonstratam,* actionesque Dei ex-  
ternas omnes, creationem potissimum atque prouidentiam. Esse  
vero hanc vitæ Dei notionem in vulgus notam, inde colligitur,  
quod subinde audis homines afflictis animis pacem conciliare actiuos  
Dei cogitatione, qui rerum humanarum non otiosum spectatorem se  
præbeat, sed iis sapientissime prospiciat. Atque hæc notio vulgi  
ingenium non superat, a quo subtilior illa, quam §<sup>pho</sup> superiori tradi-  
dimus,

B

dimus,

dimus, prorsus abhorret. Praeterea quoniam corporum ea tantum viua nominat, vbi motum quendam sub sensus cadentem deprehendit, ad qualemcunque vitae diuinae ideam aegre ascendisset, nisi documenta extarent, e quibus, quanta numinis agitatio sit, velut oculis cerni posset. Neque falsa iccirco notio ista censenda est, atque a philosophorum subtilitate prorsus aliena. Nam qui commodam esse expeditamque *gloriae diuinae* in externam et internam distinctionem fatetur, ille vero vitae absolutae discrimen et relatiuae non improbabit. Magnam enim vtriusque similitudinem deprehendet, qui hac in re contentionem facere voluerit

## §. V

Scholasticorum de vita Dei sententia

PERAGRATIS nouae philosophiae campis amoenioribus, ad *Scholasticorum* dumeta paullulum, si placet, diuertamus, et, quae fuerit eorum de vita Dei sententia, paucis audiamus. Sed diu ibi non commorabimur, cum sit molestum per se, in tenebrosos locis diu versari, tum vero M. ANDREAS GERET,<sup>11</sup> ordini philosophorum Vitembergensium tum ascriptus, superiori saeculo de vita Dei ita egit, vt cum cura et diligentia Scholasticorum decreta, quae eo pertinere videbantur, colligeret. Quorum quotiescunque libros euoluo, illud GROTII<sup>12</sup> verissimum esse video, *quantum ingenio valeant, saepe ostendisse; sed in infelicia et artium bonarum ignara saecula incidisse.* AC THOMAS quidem AQUINAS, scriptor de schola, iudice VIVE,<sup>13</sup> omnium fanissimus ac minime ineptus, cuius e fontibus alii postea hauserunt, de numinis vita multa acute differuit, suisque explanatoribus viam patefecit ad distinctiorem eius commentationem. Inter hos maxime explenduit SVAREZ, qui de ea ita subtiliter exposuit, vt nihil supra. Nam quae de actuoso Deo dici possunt, paucis verbis complexus est omnia,<sup>14</sup> *esse scilicet Deum essentialiter viuentem, intellectualem vitam purissimam.* Praeterea monet,<sup>15</sup> vitam Deo non *eminenter* tantum, verum etiam *formaliter* tribuendam esse, sed ita, vt antea, quicquid imperfecti reperiatur in rerum creatarum vita, acute disiungat. In hac enim duo,

11) in *Disput. de vita Dei*, 1677. Vi-  
temb. habita

12) in *prolegom. de I. B. et P.* §. 52

13) *de corrupt. art.* p. 363

14) *Comment. de Deo vno et trino*,  
Lib. I. Cap. III. num. 13

15) *Disput. Metaph. Tom. II. Disput.*  
XXX. Sect. XIV

duo, inquit, separanda esse, 1) *quod existentes in suo naturali statu sese actuent, vel aliquo modo se perficiendo, vel in seipsis alia repraesentando per cogitationem, vel in ea tendendo per appetitum perfectum,* 2) *quod haec efficiant per veram causalitatem et motionem, qua seipsae moueant, vel proprio motu, vel saltem mutatione perfectiua.* Illud ad formam vitae pertinere pronuntiat, hoc a numine remotum ponit, ac multa alia affert, quae si essent dicta paullo dilucidius, neque barbarorum vocabulorum inuolucris abscondita, nihil sit, quod in iis admodum vituperes. Neque hic praetereunda videtur trita non SVAREZII solum, sed omnium fere scholasticorum, ore loquendi ratio, qua Deum *actu purissimo* vitam habere dicunt, quin ipsum numen *actum purum* nominare consueverunt. Quod quidem cognomentum impium esse, atque atheo dignum, temere DIPPÉLIUS<sup>16</sup> contendit, vocis ambiguitate abusus, cum actus non tantum actionem, sed essentiam quoque et existentiam denotat. Ita cum nomen ipsum maxime est anceps, tum vero rei, eo indicatae, multo etiam maior obscuritas. Plerique enim ista voce hoc volunt,<sup>17</sup> nullum in Deo *potentiae passivae* locum esse, ideoque esse eum infinitum, cui neque vlla dos, neque vllus dotis gradus possit accedere, esse sanctissimum, cuius summis virtutibus nihil vitiosi possit admisceri, esse denique immutabilem. Alii latius extendunt, atque eo quoque nomine Deum *actum purum* pronuntiant, quod sit ab omni materiae concrectione liber, ac nonnisi mens, quam nullum corpus impediatur. Illi, qui, auctore LEIBNITIO, a potentia vim discernunt, obscurae vocis huius magis perspicuam dabunt explicationem, *actumque purum paullo dicent latius ab omni potentia, et actiua, et passiva vacuum.* Cui notioni clarum lumen praefert §<sup>phus</sup> tertiae nostrae commentationis, ubi, naturae infinite actuosae esse, vt nulla in ea potentia sit, sed vis perpetua, ostendimus

## §. VI

SI QVA summi numinis dos est euidens ac facilis ad probandum, Deum esse certe vita *absoluta* est, quae adeo ipsa notione Dei comprehenditur, vt Deum esse viuum, rationibus efficitur SVAREZIO incredibilius videatur, inanimatum, quam nullum, Deum esse. Tamen etsi igitur ne egere quidem probatione videtur, propterea quod nemo sanus tam auersus a vero reperietur, qui Deum esse, sed

B 2

vitae

16) *de fato fatuo Cap. II. §. 26* 17) CALOV. *Opp. philos. p. 366*

vitae expertem, contendat, tamen ne quid praetermittamus, rationes exploratas ad confirmandam Dei vitam afferemus. Ac *primum* quidem illas ex idea numinis repetemus. Quam enim a natura informationem naturae perfectissimae habemus, eadem nos permouet, ut eam viuam atque actuosam habeamus. Etenim, eximiam quandam dotem esse vitam, fatentur, etiam illi, quos fortuna demergit, teste LYCORHRO-NE apud STOBAEVM: 18

Ἄλλ' ἠνίκα μὲν ἦ πρόσω τὸ κατθανεῖν,  
 Ἄδης ποθεῖται τοῖς δεδυσυχηκόσιν.  
 Ὅταν δ' ἐφέρπη κῦμα λοίοθιον βίης,  
 Τὸ ζῆν ποθεῖμεν ἔ γὰρ ἐς' αὐτῆ κόρος.

Quae sic eleganter reddit GROTIUS:

*Mortem remotam poscit ardenti prece,  
 Quemcunque dura clade fortuna opprimit.  
 At cum supremus voluitur fluctus, redit  
 Vitae cupido: non enim satias tenet.*

Ex ipsa scala rerum creatarum idem luculenter patet, ubi ab inanimis ad animata ascendimus, atque, ea in quibus agitatio inest, aliis, caeteroquin praestantissimis anteponimus. Quod si vita dos est, quae per se nihil vitiosi habet admistum, profecto a Deo seiungi non poterit, cuius notio omnes ac singulas dotes, si modo verae sunt, complectitur. Deinde vim agendi substantiae simplici propriam esse, ex Metaphysicorum decretis constat. Deum vero natura praeditum simplici is demum negabit, qui absolutae necessitatis, quae in res compositas non cadit, non meminerit. Relinquitur, ut Deus vi polleat agendi, eademque actiosa sine intermissione. Nam nullum in Deo ipso impedimentum potest afferri, propterea quod in simplici natura contrariae vires locum non habent, neque aliquid extrinsecus vim Dei remorabitur, non aliunde pendentis. Deus ergo viuus erit, quippe cum sit continenter actuosus. Esse vero vitam diuinam non in motu, sed intelligentia maxime et voluntate positam, indidem elucet, quoniam motus in corporibus reperitur, Deus vero Spiritus infinitus est, cuius actiones ex intelligentia atque voluntate dimanant

Altera

18) in florilegio pag. 490

Altera Dei vita, quam relatiuam diximus, habet illa longiorem disputationem, sed a breuitate nostra alienam. Hanc enim si probare vellemus, vniuersum locum de creatione, prouidentia atque omnipraesentia oporteret exquirere, cum iisdem rationibus contineantur. Ut primum enim statuis, creasse omnia numen praepotens, eiusque mente atque ratione mundum adhuc regi et administrari censeres, das, viuum esse Deum atque maxime actuosum. At fuerunt olim, et sunt etiam nunc infanientis sapientiae studiosi, qui, hoc beatiorum, credant, Deum fore, si nihil humanarum rerum ad se pertinere putet, nihil moliat, atque ab omni curatione vacet. Quorum error tum necessario rebus creatis, qua in creatione, qua conseruatione, a natura necessaria ferendo auxilio reiicitur, tum luculentius refutatur, si modo animum ad innumerabiles illas mutationes aduertat, quae in hac rerum vniuersitate solent accidere, et, quas temere, nec dirigente alio quodam fieri, non nisi mente captus dixerit. Deum potius actuosum veneremur, tot diuinae vitae suae experimentis admirabilem

## §. VII

QVAE de vita Dei dicenda pro breuitate instituti supersunt, ea Positiones reliquae quatuor hisce positionibus complecti visum fuit

I) Vita Dei sanctissima est, atque infinita. Sanctum appellare consueuimus, cui labes non adhaeret, quodque est a vitiis communis vsus atque vulgaris remotum. Quodsi praeterea virtutibus, quae fieri possunt, omnibus ornatur, non minus sanctum, quam infinitum, iure dicitur. Iam vero supra docuimus, quam procul absit vita Dei ab illis prauitatibus, quas alioquin notione vitae comprehendimus. Contra ea nihil numini, quod ad dotes hoc nomine dignas pertineat, deesse, necessitas eius immutabilis demonstrat, quae tolleretur, si quicquam vel acciperet, vel amitteret. Quare Stoici multa alia peccantes, in opinione de vita Dei turpissime labuntur, qui, cum Deum animal esse corpore praeditum statuunt, necessario etiam vitam Deo animale tribuunt. Nos, qui summam infinitatis vim sumus melius edocti, nouimus, quam repugnet, Deo corpus tribuere, quod animo fines ponat, neque illum infinitum esse sinat. Potius Deo, vita eius nunquam finienda adducti, tribuimus immortalitatem, eamque cum aeternitate coniungimus,

genus, quam nemo dignius est BOETIO<sup>19</sup> complexus, *interminabili vitae tota simul et perfecta possessione*

II) Tanta est inter creatorem resque creatas, quanta maxima esse potest, vitae agitationisque distantia. Praeterquam enim quod illius vita sanctissima est atque infinita, harum vero agitationi multum vitiosi admistam, praeterea maximum in hoc discrimen reperitur, quod naturarum finitarum vita non ex se ipsis, sed numinis voluntate, pendet. Deus vero habet vitam aliunde non assumptam, sed in se ipso sua ponit omnia, quod sacrae tabulae nominant vitam habere *ἐν ἑαυτῷ*, hoc est, ut cum Patribus loquar, *non participatum, nec dependentem ab alio*

III) Ipse Deus nihil, nisi vita est. Acriter agitur haec quaestio inter Scholasticos, possitne Deus *in abstracto*, ut aiunt, vita nominari? At nihil opus his animis, inter se rixantibus. Constat enim inter eos, Deo nihil simplicius inueniri, ab omni compositione liberimo, ex quo, Deum ipsum esse, quicquid sit in Deo, cogitur. Quocirca cum vitam a Deo seiungere non possis, nihil impedit, quo minus Deum ipsum vitam dicamus. Neque STAGIRITES<sup>20</sup> aliter sentit: *Ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχῆς καὶ αἰδῖος ὑπάρχει τῷ Θεῷ. Τῆτο γὰρ ὁ Θεός. Deus gaudet aeterno, et vita continente et sempiterna. Hoc enim est Deus*

IV) A vita Dei omnis facti veritas proficiscitur. Neruose CANZIVS<sup>21</sup>, eundem tractans locum, *tolle existentiam Dei actiuam*, inquit, *seu vitam supremi numinis, nulli enti contingenti obtingit existentia, nulla dabitur facti veritas*. Idem tamen, ne quid sanctitate diuina statuas indignum, bene praecipit, de factis bonis agi, non malis, quae causa magis deficiens pariat, quam efficiens

## §. VIII

Illustratur  
ex Anti-  
quitatibus

AD alterum locum disputationis nostrae transimus, ubi, quae ex praeis scriptorum monumentis deprompta propositum nostrum attingunt, feligemus, horum ut amoenitate philosophiae seueritatem mitigemus et relaxemus. Tantum enim abest, ut nulla praeis fuerit  
viui

19) *De Consolat. philosoph. V. pag. 137*

20) *Metaphys. XII. 17*

21) *Meditt. philosoph. pag. 438*



viui Dei notitia, vt compluria vestigia sint, ex quibus tuto colligas, mortales vltimos ad hanc numinis virtutem animum aduertisse. Quid, quod ea ipsis tam excellens, tam necessaria tamque admirabilis visa fuit, vt ipsum nomen Dei O. M. a vita mutuati, cum Ζῆνα vocarent. Cuius quidem vocis origo recte in verbo ζῆν quaeritur, summamque Dei agitationem et vitam exprimit. Videtur certe haec nominis ratio longe simplicior ac verior illa, quam LACTANTIUS<sup>22</sup> profert, multo recentiore, atque a poëtis demum effictam. Sic huic voci ebraicum חַיָּוִת respondebit, repetitum ab חַיָּוִת, quod praeter alia etiam *vi agendi pollere* significat. Sed aliud agnitae diuinae vitae vestigium, multo etiam expressius, deprehendo in antiquissimis temporibus, quae Deum sub igne coluerunt. Nam cum mens a sensuum consuetudine difficulter abstrahatur, dici non potest, quot gentes hoc simulacro diuinitatem adumbrarint. Magna eas multitudine recenset HVETIUS,<sup>23</sup> addit incolas Americae LAFITAV.<sup>24</sup> Quarum religionum causas qui anquisuerunt, varias interseruerunt, haud ineptas illas quidem, atque ex ignis natura repetitas, quippe quo nihil accommodatius cernatur, ad declarandam Dei munditiam, pulchritudinem, splendorem.<sup>25</sup> At in agitatione illa, haëtenus pertractata, consistere maxime debuissent, in quam conuersos illos, qui primi Deum sub igne venerari instituerint, ducor ad suspicandum. Etenim quanta vi ignis, quanta vehementia, quanta celeritate res alias percurrit, consumit non minus, quam fouet. Quae quidem cuncta ab agitatione, qua vita continetur, nihil absunt. Hinc solemnia illa apud poetas ignis propria, a vita desumpta. Ita, vt hoc vtar, EVRIPIDES ζῶσαν φλόγα, OVIDIUS viuam flammam, GRATIANUS<sup>26</sup> pyriten lapidem viuum nominat. Quid multa, ignem haud insolens vitae signum fuisse, TZETZES<sup>27</sup>

HESIODI

22) *Instit. diu. Lib. I. 11*23) *Demonstr. Euang. Prop. IV. pag. 157. seqq*24) in libro, qui inscribitur: *Mœurs des Sauvages Americains*, in germanicum translatus, in der allgemeinen Geschichte der Länder und Völker von Amerika, P. I. pag. 74. seqq25) Conf. PLÜCHE *Historie des Himmels*, P. I. pag. 2926) Apud TURNEB. *Aduers. VI. 9*27) ad HESIODVM pag. 12. b. *Edit. Venet.* ἡ δὲ παρ' ἐτέρων τινῶν ἀλληγορημένη ἐνταῦθα ψυχικῶς ἀλληγορία, ὡς τὸ πῦρ ἢ νοεστὴ ζῶν ἐστὶ

HESIODI explanator, animaduertit, per ignem, a Prometheo furto de coelo ablatum, vitam intellectualem significasse poetas, testatus. VALERIANO<sup>28</sup> vero iudice, *Vestalis ignis ille, quem tanta diligentia Romanae virgines nutriebant, sublimiorem diuinioremque vitam prae se ferre videbatur. Hunc itaque et custodia et nutrimento adiuuabant, quod superioris illius vitae symbolum aeternum videretur.* Sed defendat quidem, quod quisque sentit, quia sunt iudicia de causis culti a maioribus ignis vehementer dissidentia. Equidem eas in vita diuina reperio, securus eum, cuius antea mentionem feci, LAFITAVIVM.<sup>29</sup> Eadem forte ratio induxit Aegyptios, vt plantas atque animalia, quam mortua simulacra, religiose profsequi mallent. Non sunt igitur tantum vituperandi, quantum Romani aliaeque gentes, IUVENALIS<sup>30</sup> faltem tam falsa eos contemptione non debuit irridere

## §. IX

Disputatio-  
nis nostrae  
cum S. Co-  
dicis for-  
mulis com-  
paratio

ALIVS nobis campus aperitur, ille quidem amplissimus, ac dignus profecto, vbi longius excurrat oratio nostra. Sed perbreues erimus, vt suspicio ne qua oriatur, falcem nos in alienam messem immisisse. Frequens certe huius diuinae virtutis, quam haecenus commentati sumus, in sacris tabulis mentio fit, quae et viui Dei appellatione vtuntur, praesertim cum de gentium a falsis numinibus ad verum Deum translatione verba faciunt, et ius iurandum, ab ipso Deo per vitam suam praestitum, promissionibus eius minisque adiungunt. Nec vero discrepat ab sacris monumentis vitae diuinae definitio, superiore loco praemunita. Eam potius seruatoris defensio, apud Ioannem, capite quinto, confirmat, patris sui continenti agitatione sese purgantem. ὁ Πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, καὶ γὰρ ἐργάζομαι. Atque haec deinde ad vitam a patre cum filio communicatam transferuntur. Quibus animo agitatiss, vbi sacrae litterae Deum viuum appellant, quid sane dici potest magnificentius. Quanquam enim plerique huius nominis explanatores, inter quos FLACIVS, eius vim sibi videntur omnem expressisse, si dicant, opponi Deum profanarum gentium signis inanimis, hanc tamen significationem, non principem, sed ex alia ortam,

28) in Hieroglyph. Lib. XLVI. Cap. IX

29) l. c. das Feuer, als das lebhafteste Element, dessen Kraft be-

ständig wirksam ist, wurde als ein Sinnbild Gottes angesehen

30) Satyr. XV. 1-11

ortam, putarim. Religiosi vero interpretis est, omnes partes, quas quaedam notio ambitu suo complectitur, indagare, ex iis, quae generatim supra diximus, facile perspiciendas. Eadem ratione de illis locis statuo, in quibus Deus per vitam suam iurasse dicitur. Ita *Deuterou. XXXII.* legitur, ubi verum sacramentum dici, addita loquendi formula, ab *LXX.* in *ὀμῶμαι*, iurabo, recte conuersa, comprobatur. Tenuisse enim hunc morem priscas gentes, ut, sublatis manibus, inter se fidem et iusiurandum darent, cum alii, tum *GROTIUS*,<sup>31</sup> docent. Locus vero *Ezech. XXXIII.* propter momentum rei, iureiurando confirmatae, me imprimis ad se rapit. Hic *BILFINGERVS*<sup>32</sup> negat, omnem illius rei emphasin expressam esse, si dicas, hinc intelligi, quam serua sit Dei erga peccatores misericordia. Solet plura in his verbis deprehendere, quando illa distincte meditatur. Sed is demum distincte ea meditari dicendus est, qui reliquarum virtutum, quas vita Dei continet, agitationem coniungit, vnde pulchra quaedam ac decora iurisiurandi huius facies existit. Haec nobis in mentem reuocat, esse Deum ab omni aeternitate omnium rerum intelligentia continenti praeditum, qua inter innumerabilia alia in optima quaeuis penetret, atque hoc omnino praestabilis ducat, ut homines perpetua felicitate florent, quam sempiternis premantur aerumnis. Haec eum sapientissimum monstrat, expeditissimas vias eligentem, ad decreta exsequenda. Nonne vero accommodatius finibus suis, ut piorum quisque, quam improborum sedem et locum consequatur. Sed viuit etiam iustitia, quae, nisi fuerit sibi de peccatorum iniuriis satisfactum, suppliciis nos aeternis viuos mortuosque maectat. Cuius acerbiter viua lenit benignitas, amantissima generis humani, et praesidium salutis vnicum, ab sapientia propositum, nobis comparat, simul vero sanctissima, omnem impietatem horret, ob

C

eamque

31) Ad hunc locum

32) Dilucidat. loc. supra cit

eamque causam quendam praescribit ordinem sanandi animi, illiusque tenendi facultatem dat viuens Dei potentia. Quibus sumptis omnibus, conficitur illa complexio, nolle Deum hominis, quamuis conscelerati, perniciem, sed felicitatem vehementer continenterque exoptare. Quod quo certius Deus tibi persuadeat, iurat per seipsum, et quia maiorem se videt nullum, se suamque vitam semper efficacem grauius interponit, ne dubites, quin te a morte in vitam reuocare sciat, velit, possit. Adeo ius iurandum, per vitam Dei conceptum, summam quandam omnium formularum colligit, quibus nos obstringere solemnem religione consueuimus

## §. X

Consecutio-  
nes Polemi-  
cae

RESTAT huic commentationi locus vel maxime necessarius, vt, quanta inde utilitas permanet ad errores grauissimos conuincendos, vitaeque rationem sapienter instituendam, tantum modo perstringam. Ita enim cum omnis veritas, tum decreta de vita Dei, comparata sunt, vt confirmata illa atque in luce posita, possint quam plurimos ab erroribus, quibus sunt impliciti, in viam reducere. Quod vt sit in promptu, quibusdam exemplis comprobabo

I) Iam pridem aeterna materia, omnis naturae parens, in portentis, non differentium philosophorum, sed somniantium, habita fuit. Alii hanc pinguem molem et concretam vita sensuque priuant, errore ducti, quem iam philosophis Graecorum antiquissimis, ac theologis turpitudini ducit ARISTOTELES.<sup>33</sup> At enim repugnantia loqui eius defensores, cuius patet, qui velit illam rationis trutina examinare. Materiae suae vitam adimunt. Nihil tamen fecius procreasse putant naturas, maxime actuosas, molem illam inertem omnique sensu carentem.

Egre-

33) *Metaphys. Lib. I. Cap. III*

Egregios vero philosophos, qui contendunt, effecta causis suis esse nobiliora. Nec vero in faniolem discedunt sententiam HYLOZOITAE, qui Deo dant vitam quandam genitricem, sed rationis expertem. Quo tandem pacto causa tam vasta, tam coeca, tam stolidam quodam modo, nostrum potuit animum ratione donare, qua causas rerum cernimus, earumque progressus, beluasque longissime superamus. Faciliori venia digni videntur quidam coetus Christo deuoti doctores, Deum quidem corpore vestientes, at intelligentia relicta. Hi si Dei simplicitatem, quam necessitas eius absoluta, vitaque perfectissima, postulat, non ignorassent, cauere sibi melius potuissent. Sed longum foret, hic morari, propterea quod CUDWORTHVS, eiusque summus interpres, MOSHEMVS, rem penitus confecerunt. Temperare tamen mihi non possum, quin haec a CUDWORTHO praeclare dicta repetam: 34 *Si nec vita, nec cogitatio, nec mens, nec animus ex corpore seu materia procreari potest, vitae atque rationis experte, in qua nihil est, nisi longum, latum, crassum, nullus, nisi amens, dixerit, omnem vitam et intelligentiam e materia nasci. Contra ea aut, omnes vitas et animas per se ex omni aeternitate extitisse, affirmandum est, aut confitendum, esse vnam vitam et mentem absolutam, perfectissimam, ortus omnis ignaram, unde omnes vitae descenderint*

II) Vetus est opinio, vsque ab antiquissimis ducta temporibus, numen tanta lenitate vti ad deponendam offensionem, ac propemodum lenitudine, nihil vt facilius obtineatur eius placatione. Violatum quidem Deum fatentur expiandum, sufficere tamen leuissimam quamque reconciliationem, impie arbitrantur. Hinc tot coelestis irae placamina, quae, quamuis ridicula saepe fuerint, auide tamen arripuit vulgus, cuius in animum facillime eiusmodi scita influunt, quae pec-

C 2

candi

35) *System. Intellect. pag. 1162*

candi impunitatem allatura sibi sperat. Quae falsa spes cum longe lateque flueret, tandem Socini familiam tenuit, quae varie ornauit eam, plurimorumque dogmatum suorum fundamentum esse voluit. Tandem nostris temporibus fixisse suam sibi sedem videtur inter malefanum quoddam hominum genus, quos *Naturalistas* appellamus, qui praeter caeteros huic confidentiae indulgent. Eam vero statim frangit et eripit iustitiae perfectissimae, quae a natura diuina secerni nequit, cum vita Dei coniunctio. Etenim si Deus iustitiam migrat, quae potest esse vita Dei, quae infinita agitatio. Voluntas Dei cum sit omnis actiuosa, num illa, quae sapienter moderatur bonitatem, quiescet. Proinde simul, ut Deum de iustitiae seueritate remittere posse contendis, temere de vi eius infinita detrahis, qua nihil Deo dignius

III) Eorum quoque causae, qui non modo animum superstitem, sed etiam reditura aliquando corpora nostra a morte ad vitam, statuunt, fidem et firmamentum aduersus irrisores adiungit commentatio nostra. Immortalitas animi duplex, interna atque externa, separari nunquam debet. Illam habet per simplicem naturam suam, hanc a creatoris voluntate. Vtraque viua Dei bonitate iustitiaque stabilitur, quod bonitas tantum, quantum fieri potest, perficit animum, immortalitatis per naturam, diuinitus conseruatam, capacem, iustitia virtutem praemiis, malis vitia, debitis, afficit, quae huius vitae breuitas non capit. Cumque Deus semper perfectissime viuat, quidni vitam corpori, animi consiliorum instrumento, quam illi principio dedit, reddere possit ac velit. Quod gentibus, omni spe deiectis, grauius IRENAEVS<sup>35</sup> inculcat: *Si Deus initio eum, qui non erat, fecit, ut esset, quando voluit, multo magis eos, qui iam fuerunt, restituet volens in eam, quae ab ipso datur, vitam. Inuenietur autem perceptrix et capax caro virtutis Dei,*

*quae*

35) V. pag. 297

quae ab initio percepit ortum Dei. Sic Dei vitā profanum illud solemne delet ex animo, *salve aeternum mihi, aeternumque vale*,<sup>36</sup> ab SERVIO EVARRONE declaratum, de mortuis salve et vale dici, non, quod aut valere, aut salvi esse possint, sed quod ab his recedamus, eos nusquam visuri

## §. XI

NOSTRUM est, qui numen viuum, haecenus expositum, pie <sup>Consecutio-</sup> <sup>nes practicae</sup> contemplamur, nostram agendi vim, natura satis bonam, diligentia culturaque meliorem reddere, imitantes genitorem atque effectorem nostri, perpetuamque agitationem ab eo effingentes. Quocirca dabimus operam, ut in pulcherrimarum rerum cognitione vigeat animus noster, atque ita alatur, ut per eam ad laudabilia quaevis instigetur. Admirabilis profecto animum nostrum vis impellit, inquieta nec patiens otii, quae adeo nobis est ingenerata, ut vel in profligatissimis cerni queat. Itaque merito prisca iuris naturae doctores hoc abditum in nobis semper aliquid agendi studium, in prima naturae, retulerunt.<sup>37</sup> Sed ambiguam sentimus illam vim, quae cum Hercule Prodicio duas prospicit vias, alteram ad virtutem, ad vitiositatem alteram. Quapropter hoc agamus, ne sit animus noster in pravis rebus actuosus, ac peruersis, qui si bona vera sibi non habet proposita, in speciem bonorum, sicut PLUTARCHVS<sup>38</sup> obseruat, fertur propere. Quo maiores utilitates adipiscemur ista cautione nostra, atque animi impetum retrahentes a vitiis, efficiemus simul, ut in virtutibus agitatio eius eluceat, propterea quod omnino requiescere nunquam potest. In quo virtutis curriculo numinis reuerentia eum retinebit, eius vitae cogitatione semper

C 3

et

36) VIRGIL. *Aen.* XI. 97

stratis Progr. de primis naturae

37) Conf. Excellent. WALTHERI no-

38) in vita PERICLIS, ab initio

et vbiq̄ue confirmanda. Etenim si venerationem iustam habet, quicquid excellit in continenti virtutis exercitatione; vitae diuinae profecto, quam perfectissimam docui, ea mihi videtur ratio esse, vt debeat ipsa per se ad se colendam allicere homines. Tum vero nouum pondus huic officio accedit, si, quam prope ad nos pertineat vita Dei, circumspiciamus. Putasne fieri posse, vt tam multi tot se flagitiis contaminent, ac tam praecipites ad poenam exitiumque ruant, si non opinione, sed plane ad veritatem, ipsis de vita Dei persuasum sit, si firmiter credant, cernere Deum vbiq̄ue eorum facinora, eaque cernere vindicem. Putasne fieri posse, vt toties animis cadant, rebusque suis desperent homines, si infinita Dei vis, cui omnia pareant, ipsis in mentem veniat. Sit igitur nobis in omni vitae cursu haec lex posita, ne qua nos vnquam diuinae virtutis huius capiat obliuio, et, cum nihil ea ad vitam sancte degendam efficacius compellat, diu

noctuque Deum commentemur

ACTVOSVM



*Coll. diss. A. 52, misc. 17*